



**R. Patris, Francisci Svarez, E Societate Iesv,
Metaphysicarvm Disputationvm, In Qvibvs Et Vniversa
Natvralis Theologia Ordinate Traditvr, Et Qvæstiones Ad
omnes duodecim Aristotelis Libros ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ ; [Coloniæ Agrippinæ], 1630

4 Vtrum vnum accidens poßit esse proxima causa materialis alterius.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94135](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94135)

Punctus questionis.

Adiungitur alteri, & quæ erat aliena, sit propria per specialem quandam actionem, ad hoc per se tendentem.

Ad quartum primò dicitur (applicando distinctionem datam) si materiam recipere quantitatem mediante forma, intelligatur solum ut conditione necessaria, & principali termino suæ existentie, sic concedi posse totam rationem, & nihil inferri contra doctrinam datam, ut facile intuenti patebit: si vero intelligatur mediante forma, ut partiali subiecto, & propria causa materiali, sic dicendum est, interdum manifeste hoc repugnare, ut in homine: indeq. satis probabiliter colligi: non esse id consentaneum naturis rerum, & causalitati materię ac formę in omnibus rebus naturalibus.

Rationes posterioris sententię, quatenus probant materiam esse proprium subiectum inherentię, & sufficientem causam materialem quantitatis, & accidentium, quæ per illam inheret, non habent, ut existimo, probabilem solutionem. Unde etiam Thomistę, & specialiter Astudillo 1. de Generat. q. 1. hoc concedunt etiam in doctrina D. Thom. dummodo non negetur, & formam substantialem simpliciter prius natura præcedere in materia, & quantitatem & accidentia omnino ab illa pendere. Quatenus autem rationes illę procedunt contra hanc posteriorem partem, & probant eadem accidentia manere in genito, quæ erat in corrupto, possent fortasse probabiliter solui, sed quia nobis videtur probabilius saltem id persuadere, in eis dissolvendis immorari non libet.

SECTIO IV.

Unum unum accidens possit esse proxima causa materialis alterius.

I. Oquimur iuxta naturas rerum: nam supposito aliquo miraculo, non est dubium, quin possit aliquod accidens concurrere, per modum subiecti, & materialis causę ad esse alicuius accidentis, & ad effectum eius, ut de quantitate in Eucharistia consecrata docent probatores Theologi. Secundum naturas autem rerum duo sunt certa: primum est nullum accidens esse posse primum, & (ut ita dicam) fundamentale subiectum alterius accidentis, quod ab aliquibus vocatur subiectum quod. Hoc patet, quia nullum accidens potest sustentare aliud, quin utrumque in altero sustentetur, & in hoc progressu, non potest procedi in infinitum: alias nihil esset in quo tota illa causalitas materialiter fundaretur. Et eadem ratione non potest fisci in aliquo accidente, alias tota collectio accidentium non esset in alio sed in se, quod repugnat naturaliter. Et ad hunc sensum dici solet accidens, non posse esse primam causam materialem accidentis, sed ad summum proximam. Hocq. ex professo docet Arist. libr. 4. Metaph. in loco statim tractando.

II. Secundo est certum quædam accidentia inesse substantię mediis aliis accidentibus: hoc patet inductione, nam actus intellectus insunt substantię spirituali medio intellectu: & actus voluntatis media voluntate, & sic proportionaliter de reliquis actibus, vel habitibus potentiarum sensitiuarum, & qualitates corporeę ex omnium sententia insunt media quantitate. Et ratio generalior reddi potest, quia licet omnia accidentia ordinentur ad substantiam, non tamen sine ordine inter se, & ideo potest unum respicere substantiam medięque alio.

III. Difficultas ergo est, quomodo unum accidens insit substantię mediante alio, an solum ut quo, vel etiam ut quod, his enim terminis utuntur Philosophi. In quibus est cavenda æquivocatio, ut punctus controversię attingatur, nam vno sensu potest negari accidens esse subiectum quod, solum quia non est primum fundamentum, & veluti basis totius causalitatis qua sustentatur aliud accidens: dicitur autem iuxta hunc sensum aliquod accidens esse subiectum quo, quia est id quo mediante substantia recipit aliud accidens, siue priori accidenti, posterius vere ac proprie inheret, siue non. Et hic sensus non potest in dubitationem cadere, nec de illo est controversia. Alio sensu dici potest accidens esse tantum subiectum quo, & non quod alterius accidentis, quia non potest unum accidens esse subiectum etiam proximum in quo aliud accidens vere inheret, quamvis possit esse ratio inherendi, id est necessaria conditio, vel dispositio prærequisita in substantia, ut aliud accidens ei inherere possit, quo modo multi putant diaphaneitatem comparari ad lumen. Et iuxta hunc sensum vere ac proprie unum accidens non est causa materialis alterius, nisi eo fortasse sensu, quo causa dispositiva ad materialem reuocatur: quo modo etiam potest accidens esse causa materialis substantię: nos autem agimus de propria causa materiali, in qua proximè insit, & recipiatur accidentaliter forma. Unde è contrario dicitur accidens subiectum quod alterius accidentis, si vere illud in se recipiat, & in se proximè terminet unionem & inherentionem illius, etiam si non sit primum (ut ita dicam) sustentaculum utriusque: & in hoc sensu tractatur questio præsens.

Varia sententię.

IV. Prima sententię est, nullum accidens esse verum subiectum & materialem causam alterius accidentis. Ita tenet Gregorius in 2. & 12. qu. 2. artic. 2. Tribuitque Aristoteli. 4. Metaph. tex. 13. & 14. ubi probat, accidens non accidere accidenti, nisi quia ambo eidem accidunt: & subdit causam, quia non est maior ratio, cur unum accidens alteri accidat, quam è conuerso. Idem supponere videntur Nominales, qui negant qualitates panis inherere quantitati, etiam post consecrationem panis: quos citavi tertio Tomo 3. part. disp. 56. sect. 3. In eandem sententiam referri potest Capreolus in 1. distinct. 3. quest. 3. artic. 2. ad 2. Scoti cont. 1. conclusionem, ubi non satis explicat, quo sensu loquatur de subiecto quo & quod: nec ex locis Diui Thomę, quæ assert, satis id constare potest, ut videbimus, Gregorius vero clarius locutus est, qui non profert rationes magni ponderis: summa enim omnium est, quoniam forma non potest esse principium patiendi aut recipiendi, alias confunditur munus formę cum officio materię, sed omne accidens est vera forma accidentalitatis: ergo non potest esse principium receptiuum accidentis.

V. Secunda sententię est, unum accidens esse posse proximum subiectum, in quo aliud recipiatur, & consequenter posse exercere propriam causalitatem materialem circa illud. Hanc tenet, & bene declarat Durandus in 1. d. 8. 2. part. quest. 4. num. 15. eamque supponunt Diuus Thomas, & alij authores, qui (ut prædicto loco allegavi) dicunt in Eucharistia post consecrationem panis qualitates inherere quantitati separatę, non per inherentionem novam, quæ per consecrationem illis conferatur, sed per antiquam, quam habebant in quantitate, quæ antea inhererat in materia ut in subiecto, quo sublato, remanent alia accidentia fundata super ipsam quantitatem, ut expresse docet Diuus Thomas 3. part. quest. 77. art. 2. ratio-

2. ratione 2. Et in solutione ad secundum declarat, vnum accidens per se non posse esse subiectum alterius, quia per se non est: quatenus vero est in alio, posse esse subiectum, quia potest vnum accidens, mediante alio, recipi in subiecto: & sic ait, superficiem esse subiectum coloris, quod non esset absolute verum, si accidens tantum esset medium, quo in priori sensu supra declarato. Et 1. 2. quæst. 7. artic. 1. ad 3. & quæst. 56. artic. 1. ad 3. vbi eandem doctrinam repetit, ait, vnum accidens inherere alteri, quod non potest vere dici de pura dispositione. Similia fere habet in 3. distinct. 33. quæst. 2. artic. 4. quæstiuncul. 1. & optime in quæst. de spirituali creat. art. 11. ad 13. & sæpe alias. Atque hanc sententiam cenfeo esse veram.

Quæstionis resolutio.

VI.

VT vero illam probemus, & declaremus amplius: Dico primò, quamuis non possit omne accidens in alio accidente proximè inherere, aliquibus tamen accidentibus id potest conuenire. Prior pars nota est, quia cum tota collectio accidentium debeat necessario inherere substantiæ, necesse est, vt aliquod accidens immediate substantiæ inheret: non enim potest inter substantiam, & accidens medium inueniri: quamuis inter substantiam & aliquod accidens possit aliud accidens intercedere, quia sicut generalis diuisio entis in substantiam & accidens adæquata est, ita vt inter membra diuidentia nullum possit cadere medium: ita inter primum accidentis subiectum, quod est substantia, & totam collectionem accidentium, seu inter substantiam, & primum accidens eius, non possit medium inueniri. Quod rectè notauit D. Thomas 1. part. quæst. 77. art. 1. & 5.

VII.

Posterior pars probatur primò, inductione in accidentibus corporeis: nam omnia insunt substantiæ, media quantitate, vt omnes Philosophi docent: & videtur probari experientia, nam albedo in superficie extenditur, & calor similiter, cum diffunditur per corpus, in quantitate eius extenditur. Responderi potest, hinc solum colligi, quantitatem esse dispositionem necessariam in subiecto, vt alia accidentia corporea in ipso possint esse connaturali modo, non tamen ipsam quantitatem esse proximū subiectum, cui talia accidentia vere inherant. Sicut de substantiali forma supra probabiliter dicebamus non ingredi in materiam, nisi extensam per quantitatem, supposita vero ea dispositione, immediate coniungi entitati ipsius materiæ, & coextendi illi: cur ergo non posset idem dici de albedine, & de calore, &c. Respondetur, rationem esse valde diuersam, nam forma substantialis, cum sit superioris ordinis, est improporionata, vt accidenti proximè inheret. Item, non vnitur per modum accidentalem, sed substantialem, & ideo immediate debet substantiæ vniri, qualitas vero corporea, est accidens, & per modum accidentalem vnitur, & ideo ex se proportionata est, vt possit accidenti proximè inherere: ergo, quando talis est qualitas, vt per se, & necessario in substantia supponat quantitatem, ad hoc vt mediante illa recipiatur, verisimilius est, in illa immediate recipi. Et confirmatur ex mysterio Eucharistiæ, nam in quantitate separata accidentia inherant, vt ex Theologia suppono: ergo ex natura sua apta sunt informare quantitatem, quia forma non potest suum effectum formalem exercere extra subiectum sibi proportionatum: ergo ante consecrationem illæ qualitates inherant quantitati, quia qualitas naturaliter informat subiectum sibi proportionatum, si illi coniunctum sit. Item, quia superflue fingitur noua inherens, de nouo & miraculose facta in illis qualitatibus, si iuxta rei naturam intelligi potest & præcessisse, & semper permanisse. Euidenti- orq; est hæc inductio in quibusdā accidentibus, quæ

non sunt res omnino distinctæ ab accidentibus, in quibus fundantur, sed modi eorum, vt est figura respectu quantitatis, & motus, & vbi seu præsentia- localis respectu eiusdem, & relatio (si est modus distinctus) respectu sui fundamenti. Præterea, in spiri- tualibus accidentibus (& eadem ratio est de materiali- bus, quæ illis proportionantur) hoc videtur certifi- simum, nam in primis necesse est habitus operatiuos immediate inherere in potentiis, ad quas iuuandas ordinantur: quia hi habitus præbent inclinationem & facilitatem his potentiis: sed non præbent hanc fa- cilitatem, nisi formaliter per se ipsos, ergo informat has potentias, ergo in eis proximè recipiuntur. At- que hac ratione scientia recipitur in intellectu, & species impressæ in potentia cognoscente ipsis pro- portionata, & sic etiam dicunt Theologi fidem esse in intellectu, & charitatem in voluntate. Atque ead- em vel maior ratio est de actibus vitalibus, qui es- sentialiter sunt actus immanentes: vnde necesse est recipi immediate in proximo principio, à quo pro- cedunt. Ratio vero à priori huius partis sumenda est ex subordinatione naturali talium accidentium quam ex ipsis effectibus, & naturalibus indicii in- uestigamus, & non est, vnde repugnet naturæ acci- dentis vt sic.

Dico secundò: Vnum accidens vere potest exer- cere causalitatem materiale, respectu alterius sibi proportionati. Hæc assertio sequitur ex priori, nam subiectum recipiens in se formam, propriam causa- litatem materiale exercet erga illam: sed vnum accidens est proximum subiectum recipiens in se aliud accidens: ergo. Secundò, quia accidens quod in alio recipitur, pendet ab eo in esse & fieri, & non, vt ab efficiente, formaliter ac præcise loquendo ex vi receptionis, quæ interdum potest re ipsa separari ab effectione, vt patet in quantitate, quæ non facit al- bedinem, quam in se recipit, vnde albedo non pen- det ab illa, media actione, sed media vnione & inha- sione: pertinet ergo illa dependentia ad materiale causalitatem. Tertiò, accidens quod alteri inheret, est forma eius, vnde actus vitales dicuntur actus se- cundi potentiæ, quia illas ultimo actuant, & in- formant, & albedo denominat superficiem albam, vt informat illam: ergo è conuerso accidens reci- piens aliud, exercet materiale causalitatem circa illud.

Sed quæret aliquis, cum vnum accidens causat aliud materialiter, an solum illud proximè concu- rat in eo genere, vel etiam ipsum subiectum, aut ali- quod aliud accidens. Respondent aliqui, quædam esse accidentia simplicia, id est, nec formaliter, nec identice composita ex variis entitatibus, vt est albe- do, visio, &c. alia vero composita ex variis entitati- bus, quæ compositio nunquam reperitur in acci- dentibus, quæ propriam habent entitatem: nam licet in eis esse possit compositio intentionis vel ex- tensionis, hæc tamen in ordinē ad subiectum com- paratur per modum simplicis entitatis: in acci- dentibus autem, quæ sunt modi rerum, interdum repe- ritur illa compositio, verbi gratia, præsentia localis panis non tantum est in quantitate, sed etiam in sub- stantia panis, vnde integrā illa præsentia cōposita est ex præsentia substantiæ, & præsentia quantitatis. De prioribus ergo accidentibus, quando vnum inest substantiæ, medio alio, aiunt materiale causalitatem per solum accidens proximè exerceri, & è con- uerso vnionem seu inherentiam accidentis per se & immediate terminari ad solum accidens, ad subiectum vero alterius accidentis, non nisi remote, & quasi per accidens: nam cum tale accidens, sit sim- plex modus, aut simplex entitas, non potest imme- diate vniri pluribus rebus: sic Ocham 4. quæst. 4. ait accidens simplex non posse esse, nisi in subiecto æque simplici.

At vero, quando accidens est compositum modo expli-

explicato adaequate est in subiecto composito; & ideo licet secundum unam partem sit in altero accidente, secundum aliam esse potest immediate in substantia; atque ad hunc modum dici solet, quantitatem discretam esse in multis subiectis partialiter, de quo suo loco. Atque in hac posteriori parte non est in re difficultas, quamvis esse possit quaestio de nomine, an illud sit dicendum vnum accidens, vel potius duo, cum in re sint ita distincta, ut possint remanere sine alio: sicut de facto destructa fuit praesentia substantiae panis, & mansit praesentia quantitatis, & potuisset etiam contrario modo fieri. Unde non est dubium, quin illae praesentiae sint in re distinctae, & diuersarum rationum. An vero propter aliqualem vnionem dicendum sint componere vnam, nil interest ad rem praesentem, & videtur quaestio de modo loquendi.

XI. De priori autem parte maior dubitatio est, nam illud principium, quod accidens simplex in entitate sua, non possit immediate & adaequate recipi in subiecto composito, neque est certum, neque videtur necessarium. Nam in primis multi ita censent de omnibus accidentibus corporalibus, quod sint per se primo in composito substantiali, saltem quando ex vtraque parte est materiale (quae opinio ex hoc patet, quod subiectum sit compositum, & forma accidentalis sit simplex, non inuoluit repugnantiam) ergo eadem ratione esse poterit in composito accidentali. Item, interdum vnum & idem accidens, vel accidentalis modus respicit duas res distinctas, ut modus vnionis, & respicit, vel afficit rem quam vnit, & rem cui vnit: ergo similiter vna entitas accidentalis potest, per se primo respicere duas res, vt componentes vnum adaequatum subiectum, verbi gratia, materiam & quantitatem, vt componunt hoc subiectum quantum. Denique in hoc nulla apparet intrinseca repugnantia. Existimo ergo ex hoc principio non posse generaliter definiri, quando vnum accidens inest substantiae, mediante alio, an substantia ibi concurrat solum remote, vel etiam proximè, nec inuenio aliud generale principium, ex quo id possit vniuersaliter expediri.

XII. Quapropter respiciendum censeo ad naturam vniuersalem accidentis, & ad effectum formalem eius: nam si effectus formalis accidentis ob specialem naturam suam non postulat immediatum concursum materialem substantiae, verisimilius est substantiam tantum concurrere remote, & immediate solum inherere vnum accidens in alio, atque ita absolute affirmat Durandus loco supra citato. Et ratio est, quia si illa causa proxima est sufficiens, superfluum erit aliam addere. Atque hoc modo existimo albedinem & similes qualitates inherere quantitati, ita vt modus inheretiae earum in sola quantitate proximè terminetur. Cuius signum optimum est, quia sublata materia, & manente quantitate, conseruatur eadem inheretia. Neque est aliquid aliud signum, vel indicium, quod ad effectum formalem, horum accidentium amplius requiri ostendat.

XIII. At vero, si est aliquod accidens, quod ex suo speciali modo informandi requirat immediatam inheretiam, non solum ad aliquam facultatem, sed etiam ad ipsam substantiam rei, non repugnabit ita fieri. Hoc specialiter aduerto propter actus vitales, verbi gratia, intellectus, aut voluntatis, quos aliqui putant ita esse in facultatibus, vt ipsam etiam animam vel angelicam substantiam immediate attingant propter intrinsecum modum efficiendi vitales actus, & quia ita essentialiter est actus immanens, vt immediate afficiat totum principium intrinsecum, immediate in illum influens, hoc autem principium, vt hi auctores consequenter opinantur, non est sola potentia, sed ipsa etiam substantia angelica, vel animae. Quae sententia ex vi causalitatis materialis non repugnat, eius tamen veritas alibi examinanda est.

Franc. Suar. Metaph. Tom. I.

Atque eodem modo est probabile, quod in Theologia alicui censent, habitus per se intus, sicut in multis concurrunt actus cum potentiis ad eliciendos actus supernaturales, ita etiam concurrere materialiter ad recipiendos illos: hoc enim (si aliunde probetur necessarium, aut magis conueniente talibus actibus) non repugnat, ex eo quod potentia, & habitus sunt res distinctae, quia satis est, quod vniantur & concurrant per modum vnus integræ facultatis.

Responsio ad argumenta.

Fundamentum Gregorii non habet difficultatem: Propositio enim Aristotelis, quod accidens non accidit accidenti, intelligenda est, vt subiecto quod, in priori sensu supra declarato. Quem sensum Diuus Thomas ibi indicat. Dicit etiam posset, Aristotelem, ibi non solum agere de accidentali inheretia, sed etiam de accidentali praedicatione, qua vnum accidens omnino per accidens dicitur de alio, vt cum musicus dicitur esse albus: huiusmodi enim praedicatio non oritur ex eo, quod vnum accidat alteri, sed quod ambo in vno tertio coniungantur. At vero interdum potest accidens praedicari de accidente, non omnino per accidens, vt in hac propositione: Quantum est in loco, aut intellectu intelligit, Appetitum amat, & in his non repugnat accidens inesse accidenti, modo superius exposto, & in eodem sensu non repugnabit accidens accidere accidenti, non mere per accidens, sed propter aliquem ordinem per se, quem inter se habeant, quo etiam modo superficies dicitur alba, & sic de aliis. Ad rationem respondetur non repugnare, quod res, quae est forma respectu vnus, sit potentia receptiva respectu alterius: quod patet in anima rationali, & in qualibet potentia passiva accidentali, & ex dictis in sectione prima satis clarum est, neque hic occurrit noua difficultas.

DISPUTATIO XV.

De causa formali substantiali.

Quoniam causa materialis & formalis mutuam habitudinem inter se dicunt, ideo eadem methodo, qua de materia differuimus, dicemus prius de forma substantiali, & postea de accidentali, nam quae de forma in communi desiderari poterat, vel tacta sunt in Disputatione de causis in communi, vel explicabuntur distinctius in singulis membris, quae in illa ratione communi solum analogice conueniunt. Tractando autem de substantiali forma, complebimur ea quae de materia prima in hunc locum remissimus, propter intrinsecam connexionem inter ipsam & formam. Supponendum est autem hic non esse sermonem de forma extrinseca, quae exemplarem vocant, de qua infra dicemus, quia vt sic magis habet rationem efficientis, quam formae. Neque etiam de forma separata, vt solet natura Angelica, aut immaterialis nominari, non propter causalitatem, sed propter actualitatem seu pulchritudinem: sed agimus de sola forma informante seu recepta in materia, quia illa est quae propriam, & specialem habet rationem causae. Rursus vero diuidi solet forma in Physicam, & Metaphysicam: prior est, quae veram & realem causalitatem formae exercet, & ideo de illa principaliter dicendum est. Quamuis enim Physica forma dicatur, vel quia naturae rei principaliter constituit, vel quia per motum physicum principaliter inuestigatur, priusque in scientia Physica consideratur, non tamen est extra Metaphysicam considerationem, tum quia ratio formae communis est & abstracta, tum etiam quia forma constituit essentiam, tum

Dd deni-